28110/P

G. NICOLAI HEERKENS,

GRONINGENSIS,

DE

VALETUDINE LITTERATORUM,

POËMA.

DUROCORTORI REMORUM,

TYPIS ACADEMIÆ, ANNO MDCCXLIX.

92032

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

HENRICO CROESERO,

GRAVIENSI, *CELEBERRIMO*

APUD GRONINGANOS

MEDICINÆ PROFESSORI,

G. NICOLAUS HEERKENS,

SALUTEM!

Cum Jurisprudentiam peroſus, alia ſtudia circumſpicerem, medicum me fore non videbatur. Difficultates ſcientiæ amplioris, & nauſea, quâ illa eminus ſubinde imprudentes afficit, tum & privatæ rationes multum ſemper a ſalubri arte me dimoverant. Tuo vero exemplo tuis factum eſt conſiliis, ut omnia evincens medicinæ me addixerim. Et quod revera etiam aliud vitæ genus præter militiam mihi, qui otia amabam, in patriâ reſtaret?

Binos annos ſub tua curâ bonæ arti operam navavi; quorum dulcis memoria adeo ſemper ubique me proſequuta eſt, ut jam, arcanis Æſculapii admiſſus, intermittere non potuerim quin meum erga Te ani-

mum evolverem, publicoque quodam ſigno, quo adfas erat, gratitudinem meam exornarem.

Dedicare Tibi inſtitueram diſſertatiunculam *de abuſu Theæ*, opuſculum, quod Lutetiæ primos mihi gradus ad Adyta Medicinæ aperuerat. Sed cum eruberem tenue folium magno nomine inſignire, libertatem mihi dabant mei illic Profeſſores parcendi ſumptibus typorum; ita ut huic chartulæ, quod in memoriam collati honoris libet edere, reſervatum fuerit Tuo nomine ſplendeſcere. Non dubito quin leve Diſcipuli munus, ſereno vultu accipias.

Rogare interim me videris optime magiſter, qua ratione & ubi ſtudia mea propulerim. Memineris ex tua ſcola Leidam me abiiſſe . . . .

> ALBINUS, WINTHERUS ubi, ROJUSque ſacerdos
> Chloridis, & chemicâ GAUBIUS arte potens,

Inde cum cupido mores hominum multorum videndi accederet, Pariſios me commiſi; in quorum florentiſſimâ Academia VINSLOUS vir ævo ac palmis gravis anatomen; FERRINIUS, qui tam docte ſcripſit de vocis organo, praxin medicam cum anatome; BERNARDUS JUSSIEU ſcientiam plantarum, & ROELLIUS, Neuſtriæ ſuæ decus, artem chemicam diſcentibus exponunt.

Adde immortalem ASTRUCIUM, quem ſua opera de morbis venereis jam pridem tibi commendaverint; quot non voluptuarios ille fato eripuit! & in dies adhuc ſubtrahit! dolui ſolummodo virum usque adeo occupari, & popularibus ſuis tam eſſe neceſſarium, ut pro diſcipulis vix momentum ei ſuppetat.

Multi præterea & clari Machaones medicinam quæ manu ſanat, ad docendum Pariſiis exercent. qua Scientia quam Galli excellant, ſine invidia non dixeris. PETITI, MORANII, FACHETII . . . . Sed quid magna nomina enumerem a quibus tam parum profeci, & qui meam mihi tantum hic ignaviam exprobrent!

Pri-

Primis medicinæ ſacris poſtquam Lutetiæ fueram initiatus, Remos me contuli. Urbs hæc triginta quinque leucis Pariſiis verſus orientem diſtat, Campaniæ Gallicæ caput. non ingratum erit, ſi quæ pauca de peregrina urbe, & cui multum debeo, adverti, hac nunc occaſione referam.

Commune omnibus fuiſſe, affirmat Plinius, *ut eos quisque diligentiſſime ſitus diceret, in quibus ipſe prodebat, aut bene honorificèque degit.* Jure igitur ego de urbe Remorum pauca commemorem.

Durocortorum veteribus urbs dicebatur, quippe cum Remi, hodiernum urbis nomen, gentile eſſet, populoque totius provinciæ commune. Ita multæ ex Galliæ urbibus, nomen gentis cujus caput fuerant, accepêre, propria appellatione depoſita, ut Catalaunum, Pariſii & plures aliæ. Remorum gentem præcipuo honore Cæſar habuit (*a*), quod ſumma fide erga Romanos ſemper fuerat. Durocortorum ubs antiqua & Romæ, ſi incolis creditur, coæva, nam a fratre Romuli muros ſuos fuiſſe conditos jactant. Et viſitur adhuc apud portam Martis ſubterraneum monumentum in quo Remum cum lupa exſculptum vidimus. Montfauconius in ſuis de antiquitate libris amplè de monumenti hujus pretio agit. In altera urbis parte arcus oſtenditur, quem J. Cæſarem ſtruxiſſe credunt, alii Julianum. Inveniuntur adhuc indies in ſuburbanis agris nummi vetuſtiſſimi, quos vili admodum Ruſtici vendunt. Ementi quicquam, cum pecunia mihi redderetur, pro aſſe æreo quatuor obulorum, Auguſtus æreus eſt datus; ſic ut Remis adhuc in uſu ſit quodammodo moneta veterum Romanorum. Sæculo proxime elapſo anno LXXXVI poſt templum divi Nicaſii extra mænia, ubi via publica olim fuerat, verna aliquis fodiendo, ſepulcrum vetus detexit, in cujus marmore hæc inſcriptio: JULIUS SYLVIUS CONJUGI JUSSIT PONI.

Ab uno urbis latere terra lapidoſa eſt, vel potius cretacea, & vineis illa inſervit, ædificiisque ſi cædi-

(*a*) Vide *Comment. lib.* II.

ditur; ab altero humus pinquior, & frumenti ferax. Porta urbis & ſuburbium quæ agris illis imminent, etiam adhuc a Cerere (*b*) appellantur. Sunt quoque ſcriptores qui ab agris Remorum & patentibus campis Campaniam dicunt accepiſſe nomen; quidquid ſit hujus rei, conſtat agros Remorum a feracitate fuiſſe celebres, quos & Cæſar (*c*) ab hac laude ſæpe commemorat. Etiam Plinius ita (*d*): *bulbos non naſci niſi ex ſemine priores tradiderunt, ſed & in Præneſtinis campis ſponte naſcuntur, ac ſine modo etiam in Remorum.*

Extra portam Martis ſunt arenæ ſeu mons arenarum amphitheatri ſeu duplicis hemicycli figura: arenæ autem tota in Gallia amphitheatra vocitantur, atque ut plurimum extra urbes fuere: ex quo intelligitur, Remos amphitheatrum ſuum habuiſſe, ſed hoc ornamentum non rarum erat Galliæ urbibus; nam & Meldis fuit & Sueſſoni Remis ſubjectæ. Quo ſolo argumento videas ab omni ævo ſimiles ſibi Gallos fuiſſe; ſemper hilaris populus ſpectaculis ducebatur, ut uulla adhucdum ſine theatro urbecula; quin oppida, villæ, comædis ſtrepunt. Nec tamen inarati ſunt agri, non ſemiputata ideo vitis, curantur ſedulo negotia, perficiuntur: quô quæſo plus continuo labore & triſti aſſiduitate induſtrii Belgæ quid efficimus! Spectacula nobis vetantur, ut negotia melius peragamus; illis vero propterea indulgentur. Curatis laboribus ſedemus, dormimus; illi adhuc ridere poſſunt, ludunt, ſaliunt, & non exanimantur; quin hac ope, credite Batavi, ad ſecutura negotia ſe excitant, firmantque. At digreſſus ſum, ignoſce Lector.

Ea maxima Rumorum urbis gloria, Galliæ Reges, quod Chriſtianiſſimi vocentur, Durocortoro debere: hic enim Clodovæus Chriſti ſacra amplexus, ad quæ Remigius epiſcopus cui inter Sanctos relato tem- plum

(*b*) Porte de Ceres.
(*c*) De Bello Gallico lib. II.
(*d*) Hiſtoria Nat. lib. XIX. cap. v.

plum inſigne Remenſes ſtruxere, inſtituiſſe Regem legitur: & Galliæ Principes, in hujus rei memoriam cum ad regnum perveniant, Remis adhuc ab Episcopo coronari amant. Quid? quod & unguntur oleo quod e cælis depluiſſe creditur, Remigio Clodovæum uncturo. Ampullam monſtrant quærentibus Monachi, in quo oleum iſtud perenne conſervatur. Monaſterio hocce vetuſtius in Gallia nullum, nec quamvis vetuſtum, etiamnum Benedictinis ullibi ſplendidius, non profecto apud noſtrates diviti ſatrapæ tam magni lares, quam pauperibus illis Dei ſervis. In triclinium deduceris immane, ſplendidum quale Verſaliis non videas; Monachi in hoc comitia celebrant, quæ autem de regno jam pridem aut republicâ non agunt. Templum cænobio adjacet, mirabile, ſtupendum, ſed cujus deſcriptio operoſior, nec hujus loci; pauca tamen obiter attingam.

In Templi vertice ante aras ſtat candelabrum ſublime ingens, quod ex metallo Corinthiaco fabre factum, immenſi pretii habetur: & hoc loco Mauſolæum Remigii, quod Artemiſiam ſtruxiſſe diceres. Ex ſolido auro moles, marmore vero circumvallata, ut ſine invidia ſpectari poſſit. easdem vero figuras in marmore exſculptas vides, quæ intus in auro ſunt cælatæ. Corpus ſancti Episcopi ab undecim ſæculis hoc tumulo integrum ſervatur. Nihil diutius inter tot mira oculos meos detinuit quam imago marmorea ſancti Remigii Clodovæum inſtituentis; ſupra Mauſolæum, ſolio alto inſidet Episcopus, infulato capite, vultu ſevero; ante pedes princeps Sicamber, ſupplex, inclinato vertice. Vulgatam illam præſulis vocem audire crederes, *mitis depone colla ſicamber.* Cum Henrico quarto ſimulacrum oſtenderetur, mirari ſe dixiſſe fertur, Clodovæum, ſi ſic fuiſſet Remigius, evaſiſſe Chriſtianum; ſe ſaltem adhuc Eccleſiæ colla non ſubditurum fuiſſe, niſi in alios incidiſſet magiſtros.

Pavimentum templi inſuper ſuperbum, variiſque lapidibus tam affabre factum, ut quasvis figuras Divorum & Angelorum exhibeat; pars quidem pavimenti

ti nunc mutata, & aliquot cœli ſigna exhibet, ubi nempe proximum eſt ſcabellis Monachorum. Nam Divus Bernardus pauperum horum male locatas opes exagitans in quâdam epiſtola dixerat *vidi, homines conſpuentes in facies angelorum.*

Cætera urbis templa admodum quoque ſplendida; Cathedrale theſauro rerum variarum inſigne; Nicaſii antiquis aliquot monumentis, tum & fulcro ſingulare, quod licet a turre remotius ad ſonitum campanæ, cæteris columnis vicinioribus immotis, adeo agitatur; ut propius adſtare nolles, vulgus ſuperſtitione conſternetur. Celebres doctrinâ Viri multa inſuper ſcripſere; aliqui miraculum eſſe affirmant, quidam cauſæ Phyſicæ inſolens phœnomenon auſſi ſunt attribuere. Scriptor *Spectaculi Naturæ* ſcientia & urbanitate vir (*a*) ſpectatiſſimus qui hac in urbe diu Eloquentiam docuit, diſſertatione hac de re ſcriptâ prodigio tandem modum aſſignavit.

Salubri ſitu urbs gaudet, cœlo miti & benigno; aquæ vero urbis parum bonæ, & diu vix erant potabiles calculoque bibentes afficere dicuntur; dum tandem dominus de DE POUILLI (*b*), Regis hac in urbe vicarius, ſcriptis ſuis celeberrimus, multisque mihi titulis nominandus, opes ſuas ſaluti publicæ devovens aquam ex propinquo amne acciri per ſubterraneos ductus curavit, ut compluribus fontibus nunc civitas gaudeat. Supereſt ut de Academia pauca addam.

Medicina præſertim a longo tempore floruit. Celebres etiam noſtra arte viri, Galerum Æſculapii imponere ſibi amavêre, ubi Reges Galliæ coronam. Veluti Pidcarnius, Jonſtonus. . Et mihi, gratare diſcipulo magiſter optime, is honor contigit undecimo Septembris hujus anni, ſub præſidio PETRI JOSNET Rectoris Academiæ. Vale.

(*a*) *Monſieur l'Abbé* PLUCHE.

(*b*) Opus Ejus præcipuum, *Theorie des Sentimens agreables*, nuperrimè typis recuſum Amſtelodami.

G.

G. NIC. HEERKENS,

DE

VALETUDINE
LITTERATORUM,

LIBELLUS.

Quid faciat morbos Helicone colentibus artes,
    quâ-que ſibi quivis conſulat arte; canam.
Vidimus ante diem ſtudii ſolſus amore
    Tot celebres flenda ſorte perire viros.
Vidimus, atque animum miſeratio quando ſubibat,
    Impetus Aönides linquere ſæpe fuit.
Quid precor in Pindo, dixi, vigilamus iniquo?
    Quid juvat ingratis incubuiſſe libris?
Si mors hinc properat, citiùsque requirimur orco,
    Negligat & turbam durus Apollo ſuam;
Si dare nolit opem, miſeriſque impendere (*a*) plantam,
    Nec ſaltem Muſæ numina vana juvant.

Vi-

(*a*) Apollo herbarum & medicinæ inventor, ut apud Poëtas.

Vivit atrox miles, Bellisque frequentibus actus,
Seris ſæpe refert neptibus illa ſenex.
Quique ſuas terit usque manus calloſus Arator,
Canus adhuc firmo corpore ſæpe fuit.
Tu qui ſeceſſum ſtudioſus & otia quæris,
Ad Stygiam raperis præcoce tabe lacum.
Sic periit viridi celeber (*a*) *Fraguërius* ævo:
Triſtis adhuc querulis Sequana fertur aquis.
Quid nunc Muſa juvat miſerum tantique labores,
Famaque, quam ſtygia non cinis audit aquâ?
Talia vel pariter furioſus ſæpe locutus
Ad caras redii mox tamen usque Deas.
Interea medicis addictus, ſcribere cogor
Nobile Doctoris quod mihi nomen emat.
Non ita materies mihi viſa decentior illâ,
Illâ, jam puero quæ quoque cura fuit.

For-

(*a*) C. Franc. Fraguerius obiit Pariſiis hoc ſæculo anno XXVIII. *Exempli gratia apponam triſtis morbi hiſtoriam:* calebat ſupra modum æſtas, lucubrabat (anno MDCCIX.) hiante ad frigidiorem tantisper auram feneſtra, ipſe discinctus. quinque poſt dies, cervicis musculos, quibus caput ad collum annectitur, labefactari ſentit; quos nimirum infeſto algore nocturnum frigus tetigerat. . . . . . . hyeme ſuperveniente morbus increvit, affuſo colli nervis acri humore ac noxio, tum illi tetrè convulſi luxatum caput a recto & naturali ſtatu dejecere. petitum eſt a Vicianis Borboniisque fontibus remedium; in Bareginam vallem devectus eſt; Balacariam apud Bigerros aquam item apud Occitanos Balaraceanam adiit, ut erat morbus ſine exemplo, ita fuit ſine remedio. *Cel.* OLIVETUS *in vita Fraguerii.*

Forſitan audacter facio, ſi verſibus uſus
Deſero cum plauſu quâ tot iere, viam.
Sed ſuus eſt cuicunque modus: liceatque Poëtæ
Cantus, ut hic Tyriâ (*a*) cuilibet ire togâ.
Nec caret exemplo quod molior: aſpice (*b*) *Rojum*,
Ille diu Leidæ noſter Apollo fuit.
Paſſaque *Flemmingî* (*c*) moroſa Britannia muſam,
Idem qua meruit, quod modo quæro, decus.
Sed quo tendo breves inſcribere nomine verſus,
Quis mihi cantanti Phœbe levamen erit?
Dedico promiſſas tibi JUSTE beate camenas,
JUSTE ſodalitii pars modo prima mei.
Accipe, trans ſtygias ſi manibus audior oras,
Accipe, quæ madido lumine muſa canit.
Heu mihi! ſperabam noſtris tibi verſibus olim
Dicere, quâ Clariæ lege bibuntur aquæ;
Qua prope Pierides ratione hoc degitur ævi,
Neſtoris ut poſſes vivere JUSTE dies.
Sed gravis ordo Deûm! meus ante Sodalis in orco
Deſtituit Muſæ ſpemque decusque meæ.

Su-

(*a*) In Galliâ ſcriptum eſt opusculum.
(*b*) Cel. *van Rojen* Botanicæ &c. apud Leidenſes Profeſſor de connubiis & plantarum amoribus Poëma ſcripſit.
(*c*) Flemmingius medicus anglus de morbis Hiſtericis.

Sume peplum, nigraque caput tibi conde cupreſſu . . .
Heu mihi! cui tandem mæſta Thalia canas!
Spes mea JUSTE peris; Patriâque ego diſſitus, (*a*) exul,
Suggerere haud potui, quod tibi ferret opem.
Nec licuit juſtis ſolari fletibus ægrum,
Non abeunti animæ verba ſuprema dare.
Raptus es, ignaro funebris epiſtola venit;
Heu mihi! præcipiti mens fugit icta malo . . . .
Parcite lectores, triſtique ignoscite Muſæ
Indulget lachrymis ſi nimis illa ſuis.
Omnia perdit inops, ſi fractam funere duro
Et tuus o fugeret lector amice favor.
Docta meo ſaltem Muſæia favete labori,
Ordior, & veſtris Semina quæro malis.
Infans ſæpe datur male raptus ab ubere Muſis;
Muſæioque patris nate triennis ines.

Mar-

(*a*) Obiit Groningæ MDCCXLVIII. v. Decembris, ætate 23., Provinciæ noſtræ, dum viveret, quæſtor, liceat in gratiam tam cari capitis, & meo aliquali ſolatio Epithaphium apponere, quod ipſi ſcripſimus

Hic jacet in parvâ *juſtus Conringius* urnâ,
Belgî totius flos modo, ſpes & amor.
Dilectus Muſis vel avito nomine (*b*), Pindi
Fasces ut Patriæ promeriturus erat.
Nunc quia fata vetant! cole Friſia, dulcis alumni
Egregii juvenis quo manet umbra, locum.

(*b*) *Celeb. Herm. Conringius ex ejus proavis fuit.*

Marceat a teneris ut eâ patienter in umbra,
Adque patris rugas ora tenella trahat.
Non equitat longaque nefas! in arundine ludit.
quod juvat æquales, discit habere probro.
Ah miſer enervis gemet olim, pallidus, æger,
Tortus & hirſuto (*a*) Pœone ſemper erit.
Luſus & huic agilis petulantia profuit ævo,
Nare vel in tutis jam quoque discat aquis.
Sic nervos nondum ſolidatos corpore firment,
Et cerebrum, tutò quo coalescat, habet.
Forte rogas, cur longa quies innoxia cunis,
Vitaque principio vita quieta fuit?
Tunc qui non voluit nos ire & poſſe moveri,
Noluit id minimo poſſit ut eſſe malo.
Cor quoque (*b*)quod teneris pro corpore majus habetur
Majus & a nervis tunc fere munus habet;
Non ſtimulis motus, fluat ut refluatque viciſſim
Sanguineus membris ille Meander, eget.
Vixque ejiciunt præcordia ſanguinis, & jam
Redditur id fonti, proximitate pedum.
Sicque brevi quisquam & compacto corpore, nunquam
Frigus in extremis partibus acre ferat.

Pro-

(*a*) Nomen medici antiqui.
(*b*) Ita Pitcarnius.

Proceri contra, queis cor pede quattuor ulnis
Diſtat, eâ ſemper commoditate carent.
Nam prius ac horum pervenit ad ultima ſanguis,
Languet ut unda tubis quæ ruit, alta petens.
Ecce vides igitur, cur motu, fomite cordis,
Tuto vagitûs tempore quisque caret.
Inde nec & gravior creſcentibus utilis annis,
Vela nocent, remis ſi bene linther eat.
Ruſticus à teneris quod araverat, aret adultus,
Et ſenium exſuccus contrahit ante diem.
Non tamen impubi labor aut vehementia motus,
Tam ſtudiis cerebrum quam cruciaſſe, nocet.
Parcite prætextam curis agitare parentes,
Nemo ſat hic monitis ſollicitandus erit.
Ah ferus eſt, quisquis pro toto tempore vitæ,
Suſtineat ſobolem mille gravare malis.
Culpa quot improles hæc reddidit! ingemit Hebe;
Et nigra Styx teneris manibus inde ſcatet.
Vos quoque qui Pindo jam nunc languetis adulti,
Perdiderat pueros forte libido patrum.
Forſan & in culpâ vos ipſi; veſtraque tabes
Infelix ævi noxa virentis erat.
Tunc, quid quid facimus, nimis imperioſa voluntas
Dirigit, & raptis cogimur ire pares.

Queis

Queis igitur juvenum venit ardor multa ſciendi,
Signaque Muſarum ſplendida rite ſequi;
Immemores plerique ſui, noctesque diesque
Quo macra fama vocat, currere poſſe volunt.
Ecce libris medius tacitâ ſophus hispidus æde,
Ad pluteum cubito tempora nixus, agit.
Non illum ſocii, non aura ſerenior unquam
Avocet in virides tempore veris agros.
Ver mihi ſemper ait floresque libraria præbet,
Rus ideo pecudum cum grege vulgus adit.
Interea miſero ſua ſolvit inertia nervos,
Et ſenſim toto corpore robur abit.
Quò-que aliquis vitæ magè ſe ſe addixit inerti,
Inque dies magis hoc deſidioſus erit.
Vitaque neſcio quid tegit hæc ignava beati
Et prope Pierides illecebroſa quies.
Hæc noceat quam ſola, vides; ſed pluribus ultro
Peſſima vivendi norma placere ſolet.
Illum Bacche tenes: & iniquo nectare plenum
Sobrius in Pindi ridet Apollo choris.
Dedecet hoc certè vitium rationis amicos,
Dedecet & cuivis maxima damna ferat.
Hæc canimus vobis populares, Muſaque juſſit,
Vobis queis nimium pocula ſæpe placent.

Bau-

Baudius (*f*), *Heinſiades*, *Burmannus*, ſidera Belgî,
Cum plenis ſculpti ſtant Helicone ſcyphis.
Non vitem præſcindo, Lycurgi ſimia, vobis,
Utile nec ſtagno depoſuiſſe ſitim.
Vina parant animos Muſis, niſi plurima ſumas,
Ut ſtupeat multo cor ſine fine mero.
Ebrietas vel parva nocet; nervosque fibrasque
Corporis omnino crapula multa terit.
Ut valeat ſtomachus qui vobis pleraque lanquet
Cordaque confirmes, gens ſtudioſa bibe.
Sæpe tamen totos ſine vino ducere ſoles
Proderit; at motu tunc recreandus eris.
Plura locuturum truce Thyrſiger ore minatur,
Calliope fer opem, Thyrſiger inſtat, adeſt.
Bacche ignosce precor, quod obeſſet prodere candor
Phœbus, & incæptum rite jubebat opus.
Tollere nunc quoque conor, aquæ potoribus urnam
Et miſeris vilem cunque levare ſitim.
Vos ego vos theæ gens addictiſſima posco,
Queis ſtomachus calidis ſemper abundat aquis.

As-

(*f*) Ab uno diſce omnes, *Baudius* noſter de ſe ita ipſe, *nihil aliud in nobis ſugillare livor poteſt: quam quod nimis commodus ſum convivator, & interdum largius aspergor flore liberi patris.* Epiſt. XXVI. Cent. III. vivere deſiit Leidæ Anno 1613. Profeſſor Hiſtoriarum & Eloquentiæ.

Aſpice quis madidis color & gena: Talis *Huëti* (*a*)
Talis Forma tibi *Bontekoœe* (*b*) fuit.
Mens hebet, obtuſæ languent in corpore vires (*c*),
Imaque funeſtus perdidit oſſa liquor.
O thea, o ſacro demeſſæ termite frondes (*c*)!
O ſtirps naufragio digna frequente peti!
Felices populi queis herbæ noxius uſus
Non datur, & calidæ deſipit hauſtus aquæ.
Non illis matres non quæque puella laborat,
Nervorumque viri mobilitate tremunt.
Credite, cum plantæ nocuum perſuaſerit uſum,
Ulta ſatis Batavos India victa fuit.
O mea ſuadendo ſi quicquam muſa valeret,
Si poſſem patriæ conſuluiſſe meæ!
Vos ſaltem Muſis gens dedita credite vati,
Areat, Aöniis ſi ſata thea jugis.
Prima ſit in vovis ſtomachi cultura, nec ulli
Ingenium ſtomacho deficiente viget.

Ille

(*a*) *P. Dan. Huëtius* theæ pótui valde déditus; dé eó carmen elaboratiſſimum edidit.

(*b*) *Corn. Bontekoe*, Medicus Batavus; de theæ utilitate ingentes libros conſcripſit; periit ille Berolini Anno 1685. quamvis ad laudandam Theam viginti mille florenis conductus eſſet a mercatoribus, eum in modum tamen illam bibere ipſe eonſueverat, ut neceſſitatem vomendi maximè incommodam contraxerit, quæ cum ſemel hominem urgeret, ſeque ille conſpectu præſentium proripere conaretur, e ſcalis feſtinans dilabitur, cerebrumque miſerè ſibi comminuit. *lege vitam ipſius operib. præfixam.*

(*cc*) Verſus duo Huëtii, parodiæ gratia, inſerti.

B

Ille regit cerebrum, *Rex corporis* (*a*) ille Sereno
Dicitur; & miſerum, cui male torpet, habe.
Non Maro crudus (*b*) erat, cum Patrem Trois Juli
Scriberet & ſegetes, quod ſtupet orbis, opus.
Senſit ubi ſtomachum languescere, plectra refugit,
Ridendus Bavio ne foret auctor iners.
Utque igitur nomen teneasque ab Apolline laurum,
Sit ſtomachi de te nulla querela tui.
Sperne voluptates, nihil æquè lædit inertes
Ac Venus, Aöniis exul habenda jugis.
Qui retulit ſtomachi ſcripto præſtante querelas
Zwalvius (*c*), hanc ſummo ſentiit eſſe malo.
Si tibi gratus hymen, quamvis innuptus Apollo,
Innuptæque novem ſint fuerintque Deæ;
Jure cave, nimium tibi ne dominentur amores,
Uxor amans thalamo rara ſit usque tuo.
Menſibus æſtivis feſtisque ſacrisque diebus,
Secubet in vacuo Relligioſa thoro.

Si

(*a*) Vide Epigramma XIX. *Q. Serenus Samonicus* Celebris Ævo III poëta, de Medicinâ præcepta ſaluberrima ſcripſit.

(*b*) Virgilium ſtomacho non valuiſſe memoriæ prodidit Horatius *Satyra* V. *lib.* I. *verſ.* 49.

(*c*) *En ipſius Zwalvii verba*, dicant aliqui ventriculum nimis de Veneris injuriâ queri; ſed hoc dico: alia omnino legeres ſi ſtomachum meum querentem induxiſſem; nunquam uxore mea uſus ſum absque pœnitentiâ; ructus mox enim, ventriculi agitationes, ſpasmos, imo omnia incommoda poſt breve gaudium ſemper *ſenſii.* *Zwalvius* in præfatione.

Si tibi Roma ſatis non exhibet, elige ſacros
Ex veterum faſtis, quos vereare, dies.
Natales Ovidi colerem vatumque priorum;
Grata ſacris pietas manibus illa foret.
At grave continuò naturam ſtringere fræn is,
Dilitiisque, licent quæ tibi, nolle frui.
Tantalus in ſtygiis patitur nil durius undis:
Fabula riſori parce Marite fores.
Hebe (*a*) ſoletur, ſi te quoque rideat uxor,
Hebe, quæ rugis fert ſenioque moram.
Sic facile eſt ſtolidi ludibria ferre popelli,
Rideat in ſanus, quod bene ſanus agis.
Moribus, & vulgi ſi conſuetudine quisquis
Ducitur, in Phœbi non agat illa chorum.
Quo magis abſtineas nocituraque gaudia vites,
Hoc melius discet fræna libido pati.
Si tamen uxori ſemel indulgere liberet,
Quod ratio ſobolis te quoque poscit, age.
Sed ne feſtines, res eſt operoſa; tuique
Conſilio medici, ſi bene cedat, eget.
Forſitan exſpectes, quid Phœbus & ipſe monerem,
Area ſed noſtris clauditur illa rotis.

Non

(*a*) Hebe, Dea Sanitatis.

Non bene pierides vulgant arcana Cytheræ:
Quilletioque (*a*) novo dura Thalia foret.
Id tantum moneo, ſis parcus; ſæpe maritam
Non videat thalamo cynthia quæque tuo.
Et Ratio ſomni ſit ſemper amantibus artes;
Quid vigil ad pluteum nocte dieque jaces?
Palladis aſſideat feralis noctua lecto;
Largius Aöniis dormit Apollo jugis.
Quis furor eſt dulci corpus fraudare ſopori?
Præcipuoque hominum velle carere bono?
Nulla fatigato potior medicina cerebro,
Dulcior humanis nulla medela malis.
Tot curis agimur, tot triſtibus usque procellis:
Hoc unum miſerâ ſorte levamen habes.
Somnus alit vires cordisque animique, nec unquam
Infelix teritur machina noſtra minus.
Somnus ubi brevior, minus exhalabile (*b*) prodit,
Et mala, nescio quæ, ſub cute ſtagna manent.

Lar-

(*a*) *Claudius Quillet* Gallus, ſcripſit poëma *de pulcræ prolis habendæ ratione.*

(*b*) Sunt vaſcula exhalantiâ ſub ſquamulis, noſtræ cutis, oblique patentia, eâ quidem ſubtilitate ut ſupputentur 125000 hiaro in ſpatio unius vulgaris grani ſabuli a *Leeuwenhoeckio*; his perpetuo tranſpirat humor ſubtiliſſimus ex omni corporis puncto. *Sanctorius* celebris in Italiâ medicus præterito ſæculo primus hoc dogma protuliſſe aut ſaltem elaboraſſe dicitur.

Largius accipiat niſi Morpheus ergo tributum,
Cauſa repente febri, cur oriatur, erit.
Nec non pulmones inſomnia longa fatigant,
Aſthmaticumque brevi ſub cava buſta trahunt.
Dumque tonum nervis adimunt cerebroque vigorem,
Ventre tibi crudus ſtagnat inerte cibus.
Cauſa Melancholicis non flebilis altera morbi:
Nec tabes aliò bilis & atra venit.
Quid quod ubi vigiles tenuarunt corpora noctes,
Parcior evadit difficiliſque ſopor.
Sanguis acerbatus vigilando reſiſtere ſomno,
Somnus & ulciſci ſe quoque ſpretus, amet.
Heu mihi! quam multi pœnas Helicone dederunt,
Morpheus invito quos vigilare ſinit.
Non opus eſt theâ non auxiliaribus herbis,
Deſerat ut ſolitus lumina feſſa ſopor.
Nocte vigil ſtudeat, vexetque agitetque cerebrum,
Quiſquis amat ſortem Regule (*a*) vane tuam.
Quin pigeat furere usque adeo! ſapiamus amici;
Carior eſt magno nomine ſomnus iners.

Et

(*a*) M. Attilius Regulus victus a Carthaginenſibus, & Romam miſſus ut de permutandis captivis ageret cum Senatu; contra ne id fieret interceſſit, Carthaginem nihilominus rediit, ubi vanæ auſteritatis pœnas dedit. reſectis enim palpebris vigilando necatus eſt. vide *Florum* lib. II. cap. I.

Et licet impendas ſua dulci tempora ſomno,
Imputet id nunquam fama benigna tibi.
Quid mage *Carteſio* (*a*)? ſcriptisque celebre *Bolæi*?
Longior at ſolito ſomnus utrique fuit.
Nec credas nocuiſſe, quies jucunda videtur
Ingenium tantis exacuiſſe viris.
Solvuntur ſomno cutis oſtia; denſaque fæcum (*b*)
Prodit congeries ingeniumque levat.
Mane novo quam lætus homo, quam ſalſus & acer?
Et tetrico rugas exuit ore quies.
Quisquis ovat, ſaliensque thoro Tecmeſſa (*c*) jocatur:
Et Pylius dominæ ſuavia verba canit.
Tunc ſaliunt pecudes, ſaliunt animalia ſylvis,
Blandius & ſolito cantat alauda melos.
Lucis avis rauco molitur gutture cantus,
Undique jucundum villicus audit ave.

Sed

(*a*) Vide *la vie de Descartes par Adrien Baillet*. lib. VIII. cap. 1. & ipſe Carteſius tomo I. ſuarum Epiſt. pag. 473. ſe decèm & ſæpe duodecim horis in lecto morari conſueviſſe teſtatur. . . . , De *Bolæo* vide commentarios *Broſſetti* ad Epiſtolam Poëtæ quintam, ubi dicitur

On vit avec horreur une Muſe effrenée
Dormir chez un Griffier la graſſe matinée.

(*b*) Somnus placidus adeo favet perſpirationi ut ſeptem horis quinquaginta unciæ cocti perſpirabilis in robuſtis ſæpe exhalent. vide *Sanctorium de medicina ſtaticâ Sect. IV. Aphor.* 1.

(*c*) Triſtitiâ ſingulari celebris fœmina, Ajacis conjux. vide *Ovid.*

Sed nimium mihi ſomne places: reprehendimur æquis,
Omne nocet nimium, ſomne nocere potes.
Ladmius Endymion Phœbæ dignatus amore
Deficit, & queritur ſe placuiſſe Deæ.
Ne bonus ergo ſopor tibi forte noceret abuſu;
Accipe, conſilium Muſa ſalubre dabit.
Udi oculi, mens læta, & tenſi ſuaviter artus
Manè boni cuivis ſigna ſaporis erunt.
At ſomnum nocuiſſe ſcies: ſi languidus, æger
Feſſus & è lecto, ſede quietis, eas.
Expedit ut thalamo ſpacioſo nocte quiescas;
Muſæioque brevi fugit Apollo coli.
Quotquot eunt ſoles, auſtro perfletur utrumque,
Et nova pulmones juverit aura tuos.
Nocturnos ſtudiis præſtabit Cereus ignes,
Quodque oleum baccis Palladis arbor habet.
Fumida lampas obeſt arvinâ fota Balænæ,
Cymmeriæ noctes hac ope lumen emant.
Pulmones teneri zephyro læduntur & aura?
Vel breve vel minimum ſi modo virus habent.
Quid ſi ſulphureæ pleni fuliginis hauſtus,
Invadant pectus corripiantque tuum?

Sup-

Supplicium Catuli verearis, olente jubebat
    Carcere quem Marii (*a*) Conſulis ira mori.
Aëris imprimis quæ ſit natura colendi
    Quis-ve ſoli genius, ſedula cura notet.
Non ego Brunonis (*b*) probo conſiliumque Platonis;
    Sæpe aliquò magni deſipuëre viri.
Temperie cœli corpusque animusque juvatur;
    Illud ubi languet, mens ſimul ipſa jacet.
Non bene ſub madido Jove Phœbi vivis alumne;
    Utile quid conſtans ſiccus & aër habet.
Heu mihi! quem cunis pluvialis Friſia vidit,
    Duxit & ad clarias frivola Parca Deas.
Quas ego? tam longas ſed ſiſte Poëta querelas,
    Parcet & *Agricolæ* (*c*) Patria forte tibi.
Reſtat ut adjiciam, quo frigidus igne December
    Brumaque leniri triſtis & uda queat.
Teutonibus ferro vel teſtâ clauditur ignis,
    Balnea quod calido ſicca vapore facit.

Sed

(*a*) Vide Vell. Paterculum lib. II. cap. 22. & ita fere Jovianum Cæſarem periiſſe ſcribit Ammianus lib. XXV. cap. 10.

(*b*) Bruno Monachus, Carthuſiani ordinis conditor, domos ſuo gregi locis inſalubribus exſtrui curavit, ut & ſcolas ſuas famoſus Plato: rati quippe hoc conſilio ſe animos diſcipulorum domituros fore, cælique vitio emendabile eſſe, quod amore virtutis, ipſorum exemplo & præceptis non efficeretur.

(*c*) *Rudolphus Agricola* ſæculi ſui decus natus eſt in agro Groningano, obiit MCCCCLXXXV. Heidelbergæ.

Sed ferrugineus vapor ille ut tempora lædit,
    Damnaque pulmoni luminibusque ferat.
O melius facili mihi luceat igne caminus!
    Ligna foco Batavi ponite ligna foco.
Non tantum Pelago nemoris ſpolientur honores,
    Et crepitet nitidis pinus aduſta focis.
Quid carbone hyemes & ceſpite frangimus atrâ,
    Naufraga ſub trabibus dum freta tota latent?
Aſpicis ut furvum quisquis pallescit ad ignem,
    Non ſecus ac Stygios quæ videt umbra focos.
Tuſſis agit miſeros, fuligine guttur abundat;
    Vixque ori vocem pulmo miniſtrat iners.
Quamque tetrâ fumus de ceſpite lumina perdit,
    Teſtantur lachrymis ſæpe diſerta ſuis.
Quisquis amas Muſas, cole primis lumina curis,
    Cœcus Hyanthæas non bene quærit aquas.
Multa Venus, vigilesque fatigant lumina noctes,
    Et ſi quis curva vertice ſemper agit.
Sic equus & quidquid prona cervice ferarum eſt
    Luminis ante diem (*a*) deſtituuntur ope.
Dumque legis, propriùs vultum admoviſſe libello
    Non decet, & grandes ſcribere diſce notas.

Si

(*a*) Sententia hæc F. Plateri tom. 1. praxis medicæ cap. 7.

C

Si parvis utare, propinquent lumina ſcriptis,
    Hôcque myops fieri ſæpe juventa ſolet.
Mane oculos cum ſurgis, aquâ tibi terge roſarum,
    Nec non & marathri mandere ſemen ama.
Fel quoque de gallo mollitum ſimplice lymphâ,
    Tergere palpebris maxima damna ſolet.
Spectentur fontes, quos populus ardua tingit,
    Spectentur virides tempore veris agri.
Plura quidem præcepta tibi, ſi quæris, haberem,
    Sed vehitur brevibus noſtra Thalia rotis.
Nec licet, ut cuperem reliquas attingere partes,
    Aut mala Phœbæi plura referre jugi.
Docta (*a*) *Ramacini*, *Ficinique*, & ſcripta *Vopisci*
    Conſule, queis Hebe longa magiſtra fuit.
Sic, quidquid ſtomacho, quæ feſſo cura cerebro,
    Sic videas, animo quæ medicina datur.
Mens hominum morboſa, frequentius indiget ipſo
    Corpore conſiliis, indocilisque mage eſt.
Utque rigens corium vaginæ deterit enſis,
    Vimque gravis furni flamma biennis edit;

Ut

(*a*) *Ramazzini* medicus italus de litteratorum morbis diſſertationem ſcripſit; *Ma cilius Ficinus* de ſtudioſorum valetudine tuendâ, item *vopiscus fortunatus Plempius* Belga Anno 1670 Bruxellis de Togatorum valetudine tuendâ libros VI. edidit.

Ut domus implacidi conſumitur hospitis uſu,
Sic quoque noſtra ſuum mens terit usque larem.
Felix qui valido ſibi corpore conſulat ipſi,
Nec medicos animi quærat habere malis!
Eſt tamen in Medico, mens læſa juvetur ut ægris,
Deſipere ut ſanum pharmaca certa jubent.
Conſilio nunquam ſapiente reducitur amens,
Anticyræ miſerum nobilis herba juvat.
Quid? quod & ingenitos flectas medicamine mores,
Arsque trucem reddat, qui modo comis erat.
Cernite, quam variæ variâ ſint indole gentes,
Ut varia varium pro regione merum.
Torpemus Batavi, ſibi displicet usque Britannus,
Tu Rhodani felix accola ſemper ovas.
Omnia demonſtrant, animis dominetur ut aër:
Quamve levi cauſâ mens viget atque jacet.
Sed ſatis HERQUENIO, ſi corpora corrigat ægris:
Sicut enim Muſis, Pæonis arte valet.

FINIS.

DE

AQUA SEQUANÆ,

ET

FONTIUM MINERALIUM PACY,

EPISTOLA (a).

Aqua fluvii plerumque Lutetiæ pro potu eſt. cereviſiâ, quamvis Batava & Flandrica meliorem habeant, raro Galli utuntur. & fontes aquis limpidiſſimis, quique immenſum urbi conſtitere, non multum bibuntur; niſi ab advenis exterisque, quibus, quod alvum ſubinde ſolvat aqua Sequanæ, ut plurimum libet fontes accedere, verſibus Sanctolii inclitos. Horum ego me numero exemi, tanta eſt aquarum Sequanæ dulcedo & gratia. Muſis Hypocrenem non invideat qui ſequanæ guſtavit Ambroſiam. Amaſim bibi, Moſam Scaldimque, & Meldis Matronum, Aureliæ Ligerim, imo ſi omnes fluvios bibero & auriſluum Tagum; nihil puto aquæ Sequanæ habeam comparabile. Sed parum apud aliquos valeret forte palati mei judicium, quod ciſternæ & puteali aquæ aſſueto vel paludum potori corruptum videri poſſit. Cedo, afferam teſtes.

Primo omnes Galli conſentiunt, & ſi Aquitanus vi-

(a) Ne paginæ, quæ ſuper ſunt, indecorè vacent, ex Epiſtolis quas hinc in Belgium ante ſcripſi, unam elegi; & maxime medicam ut decentius eſſet complementum.

vinum ſuum præ Belnenſi jactet, aquam Garumnæ nunquam Sequanæ præferat. Nec Arvernus Rhodanum, nec Ligurim ſuum Biturix Pariſiis deſideret. Julianus Cæſar, in libro (*a*) quem contra Antiochenſes ſcripſit, dum caræ ſuæ Lutetiæ, mentionem cum deſiderio facit, omittere non potuit aquæ Sequanæ laudes, licet argumenti ratio minimè id riquireret. vides itaque jam ante quatuordecim ſæcula tam aquam Sequanæ, quam mores Pariſiorum fuiſſe amabiles. Leviſſimi aqua ponderis eſt, & tertia fere parte levior aquis fontium, ut fideli bilance didici; & ſtomacho idcirco vix ſentitur, copioſè licet hauſta. Alvum mollit, aperit vaſa obſtructa, urinamque & perſpirationem reddit præcipuè facilem. Hypochondriacis utiliſſimam eſſe credo; ignotusque eſt ille morbus Sequanæ accolis. Adverti autem viſui aquam nonnihil nocere. Hoc vere enim cum diu omni mane in medicinam eâ largiùs uterer, oculos tandem obtundi manifeſte ſentii, ita ut meo nectare abſtinere debuerim. Et Pariſios obſervavi non admodum oculorum acie valere, & plurima parte eſſe myopes, quod vitium tamen candida gens peccatis juventæ mavult, quam dilecto amni adſcribere.

Prope Lutetiam verſus occidentem in ripa Sequanæ villa eſt, nomine *Pacy*, aquis mineralibus maximè inclita; tres ibi fontes, quorum melior hoc ſæculo detectus eſt anno 1719 magno uſui & commodo Pariſiorum; & certius in illis quoque præſidium æger habeat, quam in centum officinis Indiarum Lybiæque merce olentibus, quæ prælibato antydoto melius, quam ad recuperandam ſanitatem adeuntur. Luxuria omni tempore, omnibus rebus damnoſa viſa eſt, ſed, ex quo medicinam corrupit & pillulæ inaurantur, malorum omnium certè miſeris mortalibus peſſima evaſit. Nec hoc quis facile vul-

(*a*) Myſopogum inſcribitur.

vulgo perſuadeat; creditur enim cuique, tot remedia eſſe, quot ægritudinum ſunt genera, tanquam natura præviderat inſolentiam, quâ aliquando viveremus.

Sed puta omnes herbas, ſuccos, & aromata nostro uſui eſſe nata, & nihil ſub alio hemiſphærio creſcere, quod exiguæ hominis machinæ non aliquatenùs conveniat; quis vires vel tantum præcipuas medicamentorum tam multiplicium examinet? Quis magnus Apollo ſcire poſſit, quo modo res tam variæ tam diſſimiles benè noſtris malis applicentur? Si poſſibile hoc ſit; aliquot morbi, hactenus inſanabiles, forte curentur. Quam vero ſcientiæ amplitudine creſcat arrogantium ignorantia? Secura auxilia contemnentes, incertis graſſabuntur, medicamque artem, jam ſatis eorum crimine periculoſam, exitialem omnino reddent. Si contra pauca ſint remedia, eorum vires & modi ſciantur, aptèque data proſint aliquò usque multis ægris & variis. Pauca illa medicamina ſimplicia ferè ſunt, voluitque hoc ita benigna natura, ut eorum uſus brevi ſciretur. Ab omni ævo aquarum mineralium utilitas conſtitit; legantur Vitruvius (*a*), Seneca (*b*), Plinius (*c*), Galenus (*d*), Ætiusque (*e*) qui usque ad ſex Heminas (*f*) aquarum mineralium, ægrotis dari poſſe ſcribit. Et magnus Hippocrates, qui ſæpe inſuper in ſcriptis ſuis agit, tam crebro & proficuè illis forte jam uſus eſt, quam apud noſtrates Cl. WINTHERUS; cui viro, ſi quid in re medicâ ſapio, debere me inprimis glorior.

Aquæ fontium *Pacy*, ut minerales eſſe ſcias, injectione gallarum tinguntur; quam quæ maximè. Imo folia quercus, ne dicam fruſtum ligni viridis, co-

(*a*) Lib. 8. de Archit.
(*b*) Lib. 3. Natural. cap. 1.
(*c*) Hiſt. nat. lib. 31. cap. 2.
(*d*) De facultate ſimplicium. lib. 10.
(*e*) Lib. 11. cap. 30.
(*f*) Hemina ſunt quindecim unciæ.

colore cæruleo illas imbuunt. Multa pericula feci, ſed pauca referre ſufficiat.

Aqua communis ſaporem non habet, illæ vero notabilem. Primo ſiccant paulum linguam & labia, tum relinquunt palato ſenſum aliquem adſtrictionis, ſaporem denique habent valde ferruginoſum; qualem fere aqua ſæpe uſta ferro candente.

Inodora eſt aqua ſimplex, ſi non corrupta. aquæ fontium *Pacy* odore non carent; ferrugineus etiam ille, quod manifeſtè ſentis, ſi lavatæ hac aquâ manus naribus admoventur, vel ſi aquæ tepefactæ ſuperincumbas.

Aqua quælibet a levitate præſertim æſtimatur. Quo enim levior, eò purior eſt, fluidior, eò minus onuſta particulis heterogeneis. Expertus ſum bilance maximè ſenſili, aquam Sequanæ leviorem eſſe aquis fontium. Poſtquam verò hæ tempore undecim dierum evaporatæ fuerant, æqui ponderis eſſe deprehendi. & gravior denique evadit aqua Sequanæ, ſi calefactæ & excoctæ comparatur: quod tamen aliquantò minus notabile eſt, ſi & ipſa illa coquitur.

Frigidiſſimæ ſunt aquæ fontium vel mediâ æſtate, omnesque colores in ſuperficie habent, quos Hippocrates in ejusmodi aquis ſe vidiſſe teſtatur (*a*). Si pellicula, nam hanc formant colores, aquis exemta, ad ſolem ſiccetur, in pulverem flavum aut rubescentem abit, qui aquæ communi infuſus reſolvitur, eamque non tantum ſapore ferruginoſo afficit, ſed aptam quoque reddit, ut gallarum injectione tingeretur.

Fontes frequentiſſime bibuntur, nam cum ante remotæ provinciæ ægris Lutetiæ petendæ erant, nunc tantum ad recuperandum ſanitatem in ſuburbanam villam itur; quæ opportunitas quemque ad has aquas allicit. Poſſem mille ægrorum exempla referre, quos apud hos fontes reconvaluiſſe vidi, partimque audivi. Sed, cum in librum ita increſceret epiſtola, hic ſtylum liceat deponere. Vale.

(*a*) In libro, de aëre aquis & locis.

XE-

X E N I A.

I.

Thea nocet Batavis; nocet omni Thea puellæ;
Et nocet a paſtu potio calda viris.

II.

Ver & hyems crudis tempeſtas optima plagis:
Tunc Gangræna ſuper non niſi ſera venit.

III.

Aura ferè ſemper, terris advecta, ſalubris;
Quique venit longum per mare, ventus obeſt.

IV.

Cano bruma ſeni, juvenique inimicior æſtas;
Acribus hic, longis tangitur ille malis.

V.

Si gravidæ molles, ſtillentque ſubinde papillæ,
Oret Lucinam, ſe male fœtus habet.